



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CLII. An Pater & Filius diligant creaturas Spiritu sancto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

neque vero denominari potest tanquam à principio: constat enim, sapientiam genitam non esse patri principium sapiendi & intelligendi: ergo nullo modo fieri potest talis denominatio. Dicit aliquis sapientiam genitam comparari cum patre sicut principium (vt aiunt) sub auctoritativum: qua ratione concedit Magister in 1. dist. illa 32. hanc propositionem, *Pater creauit omnia verbo suo*. Nihilominus hac ratione propositio illa prior concedi non potest; nam ideo dicitur pater creasse omnia verbo suo, quia ratio ideæ appropriatur filio, vt infra q. 45. in notationibus art. 6. dicemus; eo quod sit per intellectum, non quia reuera sit proprium illius esse loco ideæ: nam omnes personæ Trinitatis æque conueniunt ad productionem creaturarum.

Verum Scotus & Gabr. concedunt hanc propositionem, *pater intelligit, aut sapit in verbo suo*, sicut etiam dicitur sapere aut intelligere in essentia sua: creaturas enim (quæ habent rationem secundarij obiecti) dicitur pater intelligere in primatio obiecto suo, quod est verbum: nam & verbum patri creaturas representare, probatum manet disput. 144. cap. 2.

Ego vero non video, cur concedi non possit illa propositio, *pater intelligit & sapit verbo*: hæc namque duo verba actionem significant, non effectum formalem: & quamuis essentiali operationem denotent, vturpam tamen possunt pro notionali: ergo sicut dicimus, pater dicit verbo suo, sic etiam dicere possumus, pater intelligit & sapit verbo suo, quod est nata sapientia. At vero dici nequit, *pater est sapiens sapientia genita*, quia denotatur eo modo loquendi effectus formalis, vt supra dicebamus. Et quidem ego nullam differenciam, aut nullius sane momenti, inuenio inter hæc duo, in verbo suo. & sine præpositione, *verbo suo*: vtroque autem modo loqui licet, quia verbum est terminus operationis notionalis, vt explicatum est.

CAPVT VII.

Qua ratione dici non possit filius sapiens sapientia genita vel ingenta.

Hanc propositionem tractant S. Tho. in 1. d. 37. q. 2. art. 2. Gabr. q. 1. art. 1. & 2. Durand. quest. 2. & Capreolus loco citato: & pro illius explicatione S. Thoma, & Capreolus notant, has duas propositiones a & per causam significare, ita & præpositio a genus causæ efficientis magis communiter denotet; sed præpositio per omne genus indistinctum significet: cumque in diuinis sit veluti genus causæ efficientis, nempe principium originis; quoties vtimur hac præpositione a originem denotare videmur. Est etiam genus causæ formalis, sola tamen nostra consideratione, qua aliquid tanquam formam in Deo apprehendimus, & aliud veluti effectum illius, quod genus causæ præpositione illa, per, possemus significare.

Hoc supposito primum docet sanctus Thomas Durandus, & Capreolus huius propositionis, *Filius est sapiens sapientia genita*, posse esse duplicem sensum: nam si ablatiuus denotet ordinem originis, & genus a sapientia genita. Est autem hoc modo falsa propositio, filius enim non habet à sapientia genita, hoc est, à se antequam à principio per originem esse

sapientem, vt manifestum est: contra vero eodem sensu dicere possemus, *Filius est sapiens sapientia ingenta*, hoc est, à sapientia ingenta, vel, per sapientiam ingentiam, qua est pater, habet esse sapientem, ab eo namque per originem accipit sapientiam, &c. Si vero ablatiuus, *sapientia genita* denotet ordinem, seu habitudinem quasi causæ formalis, adhuc falsa est propositio, *Filius est sapiens sapientia genita*; eo quod sapientia, qua est sapiens, est ipsa essentia, hæc autem non est genita. Quare potius dicemus etiam in hoc sensu, *Filius est sapiens sapientia ingenta*: vel per sapientiam ingentiam, nam & præpositio per, causam veluti formalem denotare potest, vel denique tertio ablatiuus ille, *genita sapientia*, denotare potest ordinem quasi causæ subiectivæ & materialis, sicut cum dicimus, homo seipso intelligit, seipso est sapiens, vel per seipsum, & hoc modo concedi posset propositio, *filius est sapiens sapientia genita*. Est enim seipso sapiens, ipse autem est genita sapientia, quamvis hic modus loquendi, vt notauit Durandus, valde impropius sit.

Addit vltimo Gabr. ex eadem doctrina, partem æternam dici posse aliquo modo sapientem sapientia ingenta, vel per sapientiam ingentiam, secundum, & tertio modo explicatis, non tamen esse sapientem vel à sapientia ingenta, quia à nullo accipit per originem esse sapientem, vel sapientia seu per sapientiam genitam, quia nullo modo per filium sapiens est.

DIS PVT. CLII.

An Pater & Filius diligant creaturas Spiritu sancto.

prior Scholasticorum opinio. cap. 1.

paterem, & Filium vere dicendos esse diligere creaturas Spiritu sancto, probabilior opinio fert. cap. 2.

CAPVT I.

Prior Scholasticorum opinio.

Non desunt, qui hanc propositionem, *Pater, & Filius diligunt creaturas Spiritu sancto*, falsam esse asseruerent, et si præcedentem veram esse concedant: præcedens namque, de qua nobis proxime fuit controuersia, est Aug. & aliorum patrum, vt notatum est: hanc autem propositionem apud Patres non inuenimus, sed ab aliquibus tantum Scholasticis tradita videtur. Scotus igitur in 1. dist. 32. q. 2. ad vlt. arbitratur falsam esse hanc propositionem hac ratione. Amor, quo pater & filius dici possunt diligere creaturas Spiritu sancto, siue dubio est notionalis: namque de essentiali controuersia non est; sed neque de notionali vera esse potest propositio, eo, quod hic amor solum dicitur esse illius obiecti, quod vt primum & per se respicit, aut saltem quod necessario comitatur primum, creaturæ autem nec sunt obiectum primum notionalis dilectionis, nec comitantur necessario primum obiectum, quod est essentia Dei, quia contingenter & libere diliguntur, ergo dilectio notionalis non dicitur esse creaturarum, quia tamen pater & filius necessario comitantur essentiam, quæ est primum obiectum, ideo non solum dicuntur notionali dilectione essentiam diligere, verum etiam se ipsos.

Hæc

Hæc tamen ratio Scoti parum probat, quia quamvis creaturæ futuræ aut existentes libere diligantur, possibiles tamen necessario adeo diliguntur amore complacentiæ, ut supra disput. 79. cap. 2. monstratum est: hunc vero amorem complacentiæ circa res possibiles concedit in Deo ipse Scotus à nobis ibidem allegatus, tamen non dicat hunc amorem esse in Deo necessarium. For- san illa dist. 32. quæst. 2. proxime citata loquitur de amore efficaci creaturæ, qui sane solum fertur in creaturas, quæ de facto futuræ sunt, & de hac efficaci dilectione dixit, Patrem & Filium non diligere creaturas Spiritu sancto ob rationem prædictam, quia creaturæ hoc modo non necessario coniunguntur cum obiecto primariæ dilectionis, quod est diuina essentia.

*Infirmatur
ratio Scoti.*

Ceterum adhuc hoc modo eius ratio firma non est. Nam quemadmodum Pater verbo suo non tantum dicit se, & creaturas possibiles, quas necessario cognoscit; verum etiam futuras, quas poterat non cognoscere, siquidem poterant non fore, ut ex sententia Augustini ostendimus disputatione 143. capite 7. licet etiam non solum dicuntur Pater & Filius Spiritu sancto diligere se & creaturas possibiles, verum etiam futuras, quantumvis libere & contingenter eas ament. Adde, quod falso Scotus asserit. Patrem & Filium sub proprietate personali esse obiecta secundaria dilectionis, quia procedit Spiritus sanctus, & solum essentiam esse primarium, & disputatione 142. capit. 3. & 4. contra ipsum probauimus; id ipsum notauimus disp. 150. cap. 3. dum defendimus Spiritum sanctum per se procedere ut nexum duorum se mutuo diligentium; ac proinde duo supposita esse necessaria ex parte obiecti ad Spiritus sancti productionem.

*3.
Canonic.*

*Quo sensu
Canar. con-
cedat præ-
dictam pro-
positionem.
Exploditur
eius sensus.*

Scotus consentit Canariens. in commentario huius articuli, dum asserit falsam esse prædictam propositionem. Coniunctus autem videtur ratione Scoti, quam proxime retulimus, sed in gratiam Doctoris sancti, qui prædictam propositionem defendit, notat Canariensis hoc sensu eam recte explicari posse: *Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu sancto*, hoc est, dum diligunt creaturas producant Spiritu sanctum. Sed expositio videtur nimis extorta, & inepta, nam eadē ratione dicere possemus Pater & Filius intelligunt creaturas Spiritu sancto, hoc est, dum intelligunt creaturas, spirant Spiritum sanctum: ille enim sensus, quem reddit particula, dum, solum denotat comitantiam; quam etiam habet cognitio creaturarum cum processione Spiritus sancti.

CAPVT II.

Patrem, & Filium vere dicendos esse diligere creaturas Spiritu sancto, probabilior opinio fert.

*Spiritus
sanctus pro-
cedit forma-
liter per
amorem
creaturarum
etiam possi-
bilibum.*

4.

IN hac re supponendum est id, quod disputatione 143. cap. 5. in fine de processione Spiritus sancti notauimus, videlicet, eum non procedere formaliter per amorem creaturarum, etiam possibilem, sicut neque verbum per cognitionem creaturarum: vtriusque enim eandem esse rationem, ut ibidem latius prosecuti sumus dubium non est, si semel supponamus creaturas possibiles diligere à Deo aliquo amore. Reliquum ergo est, ut in præsentī ostendamus, an Pater, & Filius dicantur diligere creaturas, non solum possibiles, sed

etiam futuras, Spiritu sancto. Verior igitur sententia est, eas omnes à Patre & Filio diligere Spiritu sancto. Hanc tradit S. Tho. in hoc art. ad 3. Bonavent. in 1. dist. 32. art. 1. q. 1. ad penult. argum. & Marfilium in 1. qu. 35. art. 1. proposit. 5. post conclusionem responsi- uam; eam tamen non eodem modo explicant, Marfilius existimat primum, veram esse propositi- onem de notionali dilectione, ut sensus sit, Pa- ter & Filius spirant Spiritum sanctum, qui est pri- mum donum, & ratio liberalis donationis, quæ fieri potest, aut fit creaturis; deinde veram etiam esse censet de dilectione essentiali, quia processio personarum intra Deum est ratio processionis creaturarum extra ipsam: hæc enim est per amo- rem; sic ergo, quando dicimus, Pater & Filius dili- gunt creaturas Spiritu sancto, denotatur ratio efficiencie non ex parte Dei, quia in Deo ratio effi- ciendi est essentia, sed ex parte effectorum; cum enim Spiritus sanctus sit primum donum, vide- tur esse ratio cuiuscunque liberalis donationis, ac proinde processionis creaturarum, quæ dona- tione liberali procedunt. Hanc sententiam vide- tur sequutus S. Tho. in 1. distinctione 32. quæst. 1. art. 3. in corpore.

Ceterum ego non video, quo pacto dici possit spiratio Spiritus sancti ratio processionis crea- rarum, nisi per appropriationem, idque valde im- proprie; siquidem ratio producenti creaturas est vnitas essentia; pluralitas vero personarum ex parte principij ad eam per se non pertinet.

Ideo placet mihi prædictam propositionem sedem intelligere de notionali distinctione, sicut etiam illud, *Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto*, de eadem esse intelligendam, præcedenti disputa- tione monstrauimus. Ratio vero, ob quam dici- mus, *Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu sancto*, est eadem omnino cum ea, ob quam dicuntur etiam seiplos diligere: quia scilicet; Spiritus san- ctus, tanquam terminus producta per dilectio- nem non solum habet respectum producti ad Pa- trem & Filium, verum etiam respectu obiecti se- cundariæ amoris, sicut ipsa dilectio notionalis. Quare sicut diximus disputatione 144. cap. 2. Pa- trem intelligere creaturas in Filio, & verbo suo, ita dicere debemus, Pater & Filius diligunt crea- turas Spiritu sancto: tamen non procedat per amorem creaturarum formaliter, id enim ex pro- positione non denotatur.

Sed hic duo sunt obseruanda. Verum est, in sententia S. Tho. qui, ut aliqui ipsum interpreta- tur, putat creaturas possibiles non diligere à Deo, ut disp. 79. vidimus, prædictam propositionem non esse de illis intelligendam, sed de futuris tantum; & ideo consulto dixisse in hoc articulo ad certius, *Pater non solum Filium, sed etiam se & nos diligit Spiritu sancto*, cum dicat nos, plane intelligit futuros, non possibiles. Sed quia eadem disp. diximus, possibi- les etiam creaturas à Deo amari, & S. Tho. in ho- num sensum interpretari sumus, ideo de omnibus prædictam propositionem veram esse arbitra- mur. Alterum notandum est, notionalem dili- ctionem libere referri ad creaturas; ad quas, si lo- cuturæ non essent, posset non terminari: hoc utem fieret, nulla in ipsa variatione realis facta lo- la mutatione respectu rationis, ut disputatione 80. cap. 2. 2. monstrauimus.

QVÆ

De nomine Spiritus sancti, quod est donum.

Consequenter queritur de dono.
Et circa hoc queruntur duo.

ARTICVLVS I.

Vtrum donum sit nomen personale.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod donum non sit nomen personale. Omne enim nomen personale importat aliquam distinctionem in diuinis. Sed nomen doni, non importat aliquam distinctionem in diuinis. Dicit enim Augustinus 15. de Trinitate, quod Spiritus sanctus ita datur, sicut Dei donum: ut etiam seipsum det, sicut Deus. Ergo donum non est nomen personale.

2. Præterea. Nullum nomen personale conuenit essentiae diuinæ. Sed essentia diuina est donum quod Pater dat Filio, ut patet per Hilarium 8. de Trinitate. Ergo donum non est nomen personale.

3. Præterea. Secundum Damasc. nihil est subiectum aut seruens in diuinis personis. Sed donum importat quandam subiectionem, & ad eum cui datur, & ad eum a quo datur, Ergo donum est nomen personale.

4. Præterea. Donum importat respectum ad creaturam. Et ita videtur de Deo dici ex tempore. Sed nomina personalia dicuntur de Deo ab æterno, ut Pater & Filius. Ergo donum non est nomen personale.

Sed contra est quod Augustinus dicit 5. de Trinit. Sicut corpus carnis nihil aliud est quam caro, sic donum Spiritus sancti nihil aliud est quam Spiritus sanctus. Sed Spiritus sanctus est nomen personale. Ergo & donum.

Respondetur dicendum, quod in nomine doni importatur aptitudo ad hoc quod donatur. Quod autem donatur, habet aptitudinem vel habitudinem, & ad id a quo datur, & ad id cui datur. Non enim daretur ab aliquo nisi esset eius: & ad hoc alicui datur ut eius sit. Persona autem diuina dicitur esse alicuius, vel secundum originem, sicut Filius est Patris: vel in quantum ab aliquo habetur. Habere autem dicimus id, quo libere possumus uti vel frui ut volumus. Et per hanc modum diuina persona non potest haberi nisi a rationali creatura Deo coniuncta. Aliæ autem creature moueri possunt a diuina persona: non tamen sic quod in potestate earum sit frui diuinam personam, & uti effectu eius. Ad quod quandoque per-

ARTIC. I.

239

tingit rationalis creatura: ut puta cum sic sit particeps diuini verbi & procedentis amoris ut possit libere Deum vere cognoscere & recte amare. Vnde sola creatura rationalis potest habere diuinam personam. Sed ad hoc quod sic eam habeat, non potest propria virtute peruenire: unde oportet quod hoc ei deus per detur. Hoc enim dari nobis dicitur quod aliunde habemus. Et sic diuine personæ competit dari & esse donum.

Ad primum ergo dicendum, quod nomen doni, importat distinctionem personalem secundum quod donum dicitur esse alicuius per originem. Et tamen Spiritus sanctus dat seipsum in quantum est sui ipsius, ut potens se uti, vel potius frui: sicut & homo liber dicitur esse suus ipsius. Et hoc est quod Augustinus dicit super Ioan. Quid tam tuum est quam tu? Vel dicendum, & melius, quod donum oportet esse aliquo modo dantis. Sed hoc esse huius dicitur multipliciter. Vno modo per modum identitatis, sicut dicit Augustinus super Ioan. Et sic donum non distinguitur a dante, sed ab eo cui datur. Et sic dicitur, quod Spiritus sanctus dat se. Alio modo dicitur aliquid esse alicuius ut possessio, vel seruus. Et sic oportet quod donum essentialiter distinguatur a dante. Et sic donum Dei est aliquid creatum. Tertio modo dicitur hoc esse huius per originem tantum. Et sic Filius est Patris, & Spiritus sanctus vtriusque. In quantum ergo donum hoc modo dicitur esse dantis, sic distinguitur a dante personaliter, & est nomen personale.

Ad secundum dicendum, quod essentia dicitur esse donum Patris primo modo: quia essentia est Patris per modum identitatis.

Ad tertium dicendum, quod donum secundum quod est nomen personale in diuinis, non importat subiectionem: sed originem tantum in comparatione ad dantem. In comparatione vero ad eum cui datur, importat liberum usum vel fruitionem, ut dictum est.

Ad quartum dicendum, quod donum non dicitur ex eo quod actu datur, sed in quantum habet aptitudinem ut possit dari. Vnde ab æterno diuina persona dicitur donum, licet ex tempore detur. Nec tamen per hoc quod importatur respectus ad creaturam, oportet quod sit essentialiter: sed quod aliquid essentialiter in suo intellectu includatur, sicut essentia in-

cluditur in intellectu personæ, ut supra dictum est.

CONCLVSIO est affirmans.

ARTI-

ARTICVLVS II.

*Utrum donum sit proprium nomen
Spiritus sancti.*

201.
1. d. 18. art. 1.
Et ver. qu. 7.
art. 3. 5.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod donum non sit proprium nomen Spiritus sancti. Donum enim dicitur ex eo quod datur. Sed sicut dicitur Isa. 9. Filius datus est nobis: ergo esse donum conuenit Filio, sicut Spiritui sancto.

2. Præterea. Omne nomen proprium alicuius personæ significat aliquam eius proprietatem: sed hoc nomen, donum, non significat proprietatem aliquam Spiritus sancti. Ergo donum non est proprium nomen Spiritus sancti.

3. Præterea. Spiritus sanctus potest dici spiritus alicuius hominis, sed non potest dici donum alicuius hominis, sed solum donum Dei. Ergo donum non est proprium nomen Spiritus sancti.

Libro 4. de
Trin. c. 20. d.
med. 10. 3.

Sed contra est quod August. dicit in 4. de Trinitate: Sicut natum esse est Filio à patre esse, ita Spiritum sanctum donum Dei esse est à Patre & Filio procedere. Sed Spiritus sanctus sortitur proprium nomen inquantum procedit à Patre & Filio. Ergo & donum est proprium nomen Spiritus sancti.

Respondeo dicendum, quod donum secundum quod personaliter sumitur in diuinis, est proprium nomen Spiritus sancti. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod donum proprie est datio irredibilis, secundum philosophum, id est, quod non datur intentione retributionis. Et sic importat gratuitam donationem. Ratio autem gratuitæ donationis est amor. Ideo enim damus gratias alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Primo ergo, quod datur ei, est amor quo volumus ei bonum. Vnde manifestum est, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Vnde cum Spiritus sanctus procedat ut amor, (sicut iam dictum est) procedit in ratione doni primi. Vnde dicit Augustinus 15. de Trinitate, quod per donum, quod est Spiritus sanctus, multa propria dona diuiduntur membris Christi.

27. art. 1.

Libro 15. de
Srin. cap. 19.
ante med.
10m. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Filius, quia procedit per modum verbi, quod de ratione sua habet quod sit similitudo sui principij, dicitur proprie imago, licet etiam Spiritus sanctus sit similis Patri: ita etiam Spiritus sanctus, quia à Patre procedit ut amor, dicitur proprie donum, licet etiam Filius detur.

33.

ARTIC. II.

Hoc enim ipsum, quod Filius datur, est ex Patris amore, secundum illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.

Ad secundum dicendum, quod in nomine doni importatur quod sit datus per originem. Et sic importatur proprietas originis Spiritus sancti, quæ est processio.

Ad tertium dicendum, quod donum antequam datur, est tantum dantis: sed postquam datur, est eius cui datur. Quia igitur donum non importat dationem in actu, non potest dici quod sit donum hominis, sed donum Dei dantis. Cum autem iam datum est, tunc hominis est vel spiritus, vel datum.

CONCLUSIO affirmans. Veraque vero explicanda nobis est disputationibus sequentibus.

DISPUT. CLIII.

An ratio doni sit proprietas solius Spiritus sancti.

Varia Scholasticorum opiniones, cap. 1.

Donum, quod natura sua donum est, proprietatem esse Spiritus sancti, verior sententia est, cap. 2.

CAPVT I.

Varia Scholasticorum opiniones.

INter reliqua nomina, quæ Spiritui sancto à Theologis præsertim verò ab Augustino, tribuuntur, est donum. de quo nihilominus varia fuerunt Scholasticorum placita. Prima opinio sit Durand. in 1. dist. 18. quæst. 1. qui supposita definitione dei tradita à S. Tho. in art. 1. & 2. in qua duplex respectus includitur, alter ad donantem, alter ad eum, cui fit donatio, primum docet donum in diuinis solum posse appellari respectu creaturarum, ita tamen proprie conuenire essentia diuinæ, quatenus creaturis donari potest, sicut cuiusque personæ: nam tam essentia, quam persona creaturæ rationali donatur. Probat verò, quia eadem Deus creaturæ rationali donatur, quatenus datur ut obiectum cognitum, & dilectum, vel per modum rectoris, & gubernatoris peculiarem curam habentis: hæc autem liberalis donatio æque conuenit essentia, & personæ, ut patet: ergo ratio doni utrique communis est.

Deinde subdit hanc communem rationem doni appropriari tertie personæ, eo quod illa secundum appropriationem etiam procedere dicitur per amorem: amor autem habet rationem primi doni, ut etiam dixit S. Thomas in art. 2. Ergo idem existimat de nomine amoris, & de nomine doni, ut utrumque appropriatione solum tribuatur Spiritui sancto.

Hæc sententia falso nititur fundamento, ut enim vidimus disputatione 111. capite 1. censet Durandus Spiritum sanctum non procedere à Patre & Filio per voluntatem, sed proxime per naturam; ideoque illi non proprie conuenit rationem amoris producti, ac proinde nec doni. Si